



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Affectus hujus secundæ considerationis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

parum putum nihil est, offendat tantum tam-
que potentem Deum, etque obedientiam de-
negare ausit?

Verùm quàm horrendum facinus, ipsum
in seipso adoriri, ipsumque velle, si fieri pos-
set, in nihilum redigere? Eousque iniquitas
atque impietas peccati procedit ac peccatoris,
qui vellet Deum non esse, ut peccatorum suo-
rum vindicem non haberet. Vah! Non est
infernus, in quo tantum crimen pro meritis
castigari queat. Nunquam enormitates istas
comprehendere poterit homo, quia ineffa-
bilem magnitudinem Dei, extremamque crea-
turæ vilitatem comprehendere nunquam po-
terit. Angeli, Beati ac Sancti, qui Deum cla-
rè intuentur, veluti infinitas ipsius perfectio-
nes nobis melius pervident, sic peccati gravi-
tatem melius concipere possunt. Eapropter
annihilari ipsi omnino mallent, aut etiam in
flammis inferni æternùm cruciari, quàm per-
mittere, siquidem penes ipsos staret. ut vel
unicum committeretur peccatum. Nihilo-
minus neque ipsi omninò integrè cognoscunt
peccati indignitatem, quia ad illam plenè com-
prehendendam incomprehensam oporteret ut
comprehenderent magnitudinem Dei. So-
lus autem Deus est, qui seipsum comprehen-
dat, atque ideo solus etiam ipse horrendam
malitiam, infandamque peccati comprehendit
deformitatem.

*Affectus huius secunda conside-
rationis.*

Eheu! mi Deus, satis, imò nimium infelix
fui committendo peccatum divinæ Maje-
stati

stati tuæ adeò injuriosum, atque insuper, pro infelicitatis meæ complemento, sufficiens non sum, ut peccati horrorem atque indignitatem perfectè queam cognoscere. Prò! quàm infelix est ista conditio mea, quod infinitè te possim offendere, neque tamen excessum malitiæ meæ queam comprehendere? Summè tamen de peccatis meis doleo, illaque detestor non solum, quantum ego ea cognosco, parum enim id foret, verùm odio ea habeo, quantum tu ipse ea odisti, Improbo ea, quantum tu ipse ea reprobas. Plango ipsa plus quam ea ego cognosco, & perinde atque ea tu abhorres.

Quandoquidem adeo infelicitè occæcatus fui, ut te peccatis offenderim & numero infinitis & qualitate supra modum injuriosis, Vah! nolo doloribus meis, lacrymis ac satisfactioni, quam tibi facere cupio, terminos ullos præscribere.

O mi Deus! quid feci ego vilissima creatura, qui infinitis titulis tibi obligatus eram & obstrictus propter innumera, quæ ab infinita bonitate tua receperam beneficia? Ego te contempsi, inobediens tibi extiti, contra te me erexi, contra te, inquam, Regem meum, Dominum meum ac Deum meum, O voluntatem perversam! O execrabilem malitiam! Eheu, Eheu! Ubi tunc eram? quid cogitabam? Ubi erat intellectus, ubi ratio mea? O Deus, quantum doleo de hac cœcitate & ingratitude mea.

Ignosce mihi, adhuc semel rogo, rogareque, ut existimo, vellem usque ad consummationem sæculi, dicereque, atque identidem inge-

L

mina;

De
ratione

minare, ignosce mihi per magnam misericordiam tuam. Hoc te obtestor per viscera ineffabilis charitatis tuæ, & per vulnera Salvatoris mei, unigeniti filii tui. Ignosce mihi, qui (eheu!) nesciebam quid facerem. Ignosce mihi ea conditione, ut nunquam relabar. Ex nunc renuncio cuivis alteri Domino, quàm tibi, cujusvis alterius sequelæ, quam tuæ, cuivis alteri honori, amori ac servitio, quam tuæ divinæ Majestatis. Ego te recognosco Deum meum, Creatorem meum, Patrem meum, Dominum meum, Regem meum & omnia. Rejicio & retracto quidquid unquam dixi, feci aut cogitavi contrarium huic resolutioni, protestationi ac voluntati.

Huic affectui diutius insistere, eumque quis poterit secundùm interiorem Spiritus sancti impulsum amplificare, sive suprâ peccatum in genere, sive suprâ aliquod in particulari, de quo ampliolem persenserit contritionem.

CONSIDERATIO TERTIA.

De animæ vastatione fieri solita per peccatum.

Rationi omninò consentaneum erat, anima mea, ut primò considerâremus jura Dei peccatis nostris offensi, ; at æquum nunc est, ut nostra quoque damna & jacturas expendamus ; videamus ergo ac penitius inspiciamus luctuosos effectus ab isto horribili monstro produci solitos in anima, quam occupârit.

Prô!